

de predictis in omnem casum et euentum de predictis, promiserunt michi notario infrascripto tanquam publice persone stipulanti et recipienti uice et nomine omnium quorum interest uel interesse poterit, de iudicio sisti et iudicato soluendo. Actum Spaleti in palacio communis, presentibus ser Theodosio Alberti et Cipriano Bosani testibus, et aliis, et Duymo Johannis Volcine examinatore.

XII

1343, 16 novembre.

IV, II, 7.

Die sextodecimo nouembris. Nichola ser Theodosii et Camurtius Johannis, tanquam syndici communis et hominum ciuitatis Spaleti, cum consensu et expressa uoluntate dicti domini comitis et generalis consilii ciuitatis predicte, coram me notario, testibus et examinatore infrascriptis, fuerunt contenti et confessi fore dicto comuni integre solutum et satisfactum a Nicola Mathey de ducatis duodecim de auro, quos dictus Nicola eidem comuni dare tenebatur pro dacio turni cere communis pro anno proxime preterito, de quibus dicti syndici per se et eorum successores fecerunt dicto Nicole, pro se et suis heredibus et successoribus recipienti, finem, quietationem, remissionem et pactum de ulterius non petendo, uolentes quod omne instrumentum seu scriptura, si qua apparent de predictis sint cassa, uana, cancellata et nullius ualoris, promicentes ipsum de cetero non molestare uel inquietari in curia uel extra, occasione predicta, sed dictam quietationem perpetuo firmam et ratam habere et tenere, cum refectione dampnorum et expensarum litis et extra et sub obligatione omnium bonorum dicti communis. Actum in palacio communis, presentibus Theodosio Alberti et Cipriano Bosani testibus, et Duymo Johannis Volcine examinatore.

Die, loco, testibus et examinatore predictis. Nicola Theodosii et Camurtius Johannis, tanquam syndici communis et hominum ciuitatis Spaleti, cum consensu et expressa uoluntate dicti domini comitis et consilii generalis ciuitatis eiusdem, coram me notario, testibus et examinatore infrascriptis, fuerunt confessi et contenti fore dicto comuni integre solutum et satisfactum a Micha Petri Madii et Micha Madii Miche, officialibus super decima exacta pro comuni pro anno proxime preterito, asserentes et confidentes fore dicto comuni a predictis factam et datam bonam et claram rationem de decima supradicta et de omnibus que ad eorum manus peruererunt occasione predicta, pro tempore supradicto; de quibus dicti syndici per se et eorum heredes et successores fecerunt dictis officialibus et cuilibet eorum pro se et eorum heredibus et successoribus, finem et quietationem et pactum de ulterius aliquid non petendo, promicentes etc.